



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Specvlvm Privilegiorum Regularivm In Commvni

Pedro <de los Angeles>

Coloniæ Agrippinæ, 1681

Tractatus De Privilegiis. Prooemivm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61715)



TRACTATUS DE PRIVILEGIIS.



P R O O E M I V M.

REM aggredimur difficillimam, vastissimumque navigare Oceanum, cum de privilegiis agere suscipimus, eo, quod sit res adeo ampla, plurimisque nexibus implicata, tum ob multitudinem privilegiorum, quæ ab initio ferè nascentis Ecclesiæ in beneficium, & favorem Religionum, tam à Summis Pontificibus, quàm à Conciliis Generalibus, & Provincialibus emanarunt; tum propter diversas revocationes, & novas illorum confirmationes, quas postea Sedes Apostolica adhibuit: tum denique propter materiæ latitudinem, & intrinsecam difficultatem, & obscuritatem. Nec nos omnia in brevi isto tractatu exhaurire præsumimus, quod ferè nullus consequutus est, etiam integris, & latissimis voluminibus, sed nonnulla prælibare, quæ magis necessaria, & proficua judicavimus. Alia videnda erunt apud Authores, quorum selectiores vidimus, & hoc in loco adducimus. Et quàmvis pro Regularibus præcipuè totus hic Tractatus, imo totum volumen istud elaboratum sit; in eo, ut alibi nos dixisse meminimus, plura intexemus, quæ

PRO O E M I U M.

quæ etiam pro aliis viris doctis, & pro diversis statibus utilia fore non dubitamus. Privilegia namque, & nobilibus à Principe conferuntur, & militibus à Rege, & minoribus, viduis, & aliis à jure, ac denique Ecclesiasticis plura à Pontificibus sunt concessa. Ideoque dicenda in præsentiarum pro Regularibus, maximè circa privilegia in communi, cæteris omnibus applicanda sunt proportionè servata. Quare in hoc tractatu, hoc ordine procedemus: ut prius agamus de privilegiis in communi, eorum naturam, conditiones, & proprietates explicantes. Deinde de illorum cessatione, vel per renunciationem, revocationem, non usum, &c. Postmodum de illorum confirmationibus, quæ omnia ad privilegia in communi pertinent: ac denique de particularibus privilegiis, circa diversas materias Religionibus concessis, tam pro Prælatiis, quàm pro subditis, tam per comparisonem ad ipsos Religiosos, quàm per comparisonem ad sæculares.

CAPVT